



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

xij. An clericus, qui non subditur iurisdictioni ludicum secularium, sed Ecclesiasticorum, gaudeat comaratiuè ad Iudices Ecclesiasticos, non quidem in casibus exceptis (in quibus certum est, quod non ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

Cæterum, quod subdit Fagundez loco citat. & docent etiam Couarrun. Syluester, Layman Cutellius, & Suarez *ubi supra* (nempe, quod si reus in tali casu iuste detentus, ad carcerem nolit redire, possit Prælatus concedere facultatem, ut habita cautione de impunitate poenæ corporalis, ab Ecclesia extrahatur; quamvis secus, si talis poenæ morale periculum subesset (mihi cum Gambacurta lib. 4. cap. 25. num. 20. non probatur) saltem si custodi carcerum ex tali rei fuga periculum mortis non imminet; quia talis traditio privilegium immunitatis simpliciter (exceptis casibus in iure expressis) reo concessum destrueret. Accedit, quod Gregorius XIV. in sui Constitutione prohibet extractionem fieri, etiam pro quavis pace, & causa: Neque inde fit (ut obiciunt Aduersarij) quod Ecclesia faueat delicto, sed quod faueat delinquenti, ob delictum commissum; præsertim, quia talis non peccat formaliter, quia est in Ecclesia, sed solum quia non reddit, siue sit in Ecclesia, siue alibi, quod materialiter, & impertinenter se habet ad peccatum. Et ex alio capite custos carcerum sibi imputet, si non didicerit cautius agere, sicuti debebat.

SECTIO XI.

An gaudeat clericus comparatiue ad Iudices sæculares.

SUMMARIUM.

- 1 Clericus etiam comparatiue ad Iudices sæculares gaudet immunitate, siue sub sit eorum iurisdictioni, siue non.
- 2 Clericus non debet esse deterioris conditionis, quam laicus.
- 3 Clericus, si non seruet requisita Tridentini, priuatur privilegio personali, non autem locali.

Respondetur, quod gaudeat etiam clericus (si loquamur comparatiue ad Iudices sæculares) siue eorum iurisdictioni non subdatur (quod est certum) siue etiam, si ex defectu alicuius requisiti, subdatur, quia tunc clericus reputatur tanquam laicus, atque adeo non habet esse deterioris conditionis, quam laicus: quapropter licet in tali casu priuetur privilegio personali clericorum, non tamen priuatur privilegio locali sacrorum locorum, iure communi generaliter concessio, etiam laicis. Atque ista ex communi sententia Doctorum docent Nauarrus cap. 25. num. 12. Suarez lib. 3. cap. 10. num. 7. Genuensis in praxi, cap. 22. num. 11. Bonacina de immunitate quest. 7. §. 3. num. 6. Filliucius tract. 15. cap. 6. quest. 8. num. 151. Gambacurta lib. 4. cap. 11. Farinac. de carceribus, quest. 28. num. 7. & in append. cap. 2. num. 34. & seqq. Germon. de sacr. immunit. lib. 3. cap. 26. num. 90. & seqq. Mar. Italia lib. 1. cap. 3. §. 1. Sacra Congregatio Cardinalium, teste Farinacio citat. capite 2. numero 36. ad fin. & alij contra nonnullos apud citatos Doctores, præsertim Farinacium citat. num. 36. Vide infra sect. 14.

SECTIO XII.

An clericus, qui non subditur iurisdictioni Iudicum sæcularium, sed Ecclesiasticorum, gaudeat comparatiue ad Iudices Ecclesiasticos, non quidem in casibus exceptis (in quibus certum est, quod non gaudeat, quia nullibi reperitur hoc speciale privilegium, & pro eis personali quoque per degradationem immunitate exuuntur, uti docent ex communi Suarez lib. 3. de religion. cap. 10. num. 7. Farinacius de carceribus, quest. 28. num. 8. & append. de immunit. Eccles. num. 35. Barbosa tom. 2. de iure Eccles. cap. 3. num. 45. vers. Et multo magis, & Cutellius de immunit. Eccles. lib. 1. quest. 20. num. 11. & quest. 23. num. 25. contra Bernardum Diaz præf. cap. 123. in fin.) sed in casibus non exceptis?

SUMMARIUM.

- 1 Clericus, qui non subditur iurisdictioni Iudicum sæcularium, sed Ecclesiasticorum, non gaudet immunitate Ecclesia comparatiue ad Iudices Ecclesiasticos.
- 2 Immunitas Ecclesia non derogat Potestati Laici.
- 3 Sententia Ecclesiastica contra delinquentem ferri potest in Ecclesia, secus si sit Laicalis.
- Prælatus Ecclesiasticus potest exercere iurisdictionem suam in locis sacris.
- 4 Immunitas personalis debita Clericis non impedit eorum punitionem à Iudice Ecclesiastico.
- 5 Immunitas personalis est maior quam Ecclesiarum asyllum, cum Clerici sint Dei templum vinum.
- 6 Iudex Ecclesiasticus citra ullam Ecclesia violationem, potest punire suos subditos Clericos.
- 7 Immunitas Ecclesia ladiunt quando contra eius Prælati voluntatem, delinquens ibi existens extrahitur.
- 8 Clericus cum extrahitur à Iudice Ecclesiastico, ex voluntate Ecclesie extrahi dicitur.
- 9 Iniuria facta Ecclesia censetur facta Prælato, & e contra.
- 10 Iudex Ecclesiasticus maiorem potestatem habet in Ecclesia, ex qua reus extrahitur, quam Iudex secularis.
- 11 In iudicio Ecclesiastico non ita seuerè agitur ad corporis poenam, & publicam vindictam, ad quam euitandam introducta est Immunitas Ecclesiarum, sicuti in seculari.
- 12 Immunitas Ecclesiarum proprie tantum introducta videtur comparatiue ad Iudices sæculares (quominus scilicet reos ab Ecclesia extrahere possint) non item comparatiue ad Iudices Ecclesiasticos.
- 13 Clericis delinquentis ab Ecclesia extractio Ecclesia nec dedecus, nec irreuerentiam gignit.
- 14 Prælatus Ecclesiasticus tenetur defendere loci sacri immunitatem, cuius est Ordinarius.
- 15 Clericus si ob delicta non posset extrahi ab Ecclesia à suo Prælato, ratio puniretur.
- 16 Constitutio Gregoriana, que reducit antiquos Canones ad unam formam, mentionem facit de laicis, & non de Clericis.
- 17 Ex assumptione opposita Speciei, alterius remotio sequitur.

18 Ecclesiasticus, & laicus, cum duo sint directe contraria, mutuo se emittunt, ita ut admissio vno emittatur alterum.

19 Prælati permittitur etiam in Ecclesiis circa immunitatis violationem, subditos suos punire, ac verberibus afficere, & ideo possunt illos ab Ecclesia extrahere, et loco decentiori puniant.

20 Maius decus, & honor Ecclesia est, quod Ecclesiastici puniantur, ne laicis scandalum generetur.

21 Clericis convenit sanctitas, & maior quam laicis integritas.

22 Pontifex quia in Bulla nullam mentionem fecit de Episcopis, sequitur quod ipsis noluerit hanc suorum Clericorum extractionem prohibere directe, vel indirecte.

23 Loquentium persona semper excepta censetur ex vulgaris iuribus.

24 Religiosorum excessus gravibus poenis puniuntur, qui tamen semper in locis sacris morantur.

1 **R**esponderetur negativè, quia Immunitas Ecclesiæ non derogat potestati Ecclesiasticæ, sicut derogat potestati laicali: ergo, &c. Consequentia patet: antecedens probatur, quia sententia delinquentis Ecclesiastica pronunciari potest in Ecclesia, quamvis non sic laicalis, cap. præceptum 2. quæst. 2. & tradit Gloss. in cap. nullus clericorum 17. quæst. 4. & Abbas in cap. inter alia, num. 13. de immunit. Ecclesiæ, tum quia sicut potest exercere iurisdictionem suam Princeps secularis in locis sibi subiectis, ita etiam debent posse exercere suam Prælati Ecclesiastici in locis sibi subiectis, cuiusmodi sunt Ecclesiæ, & loca sacra: tum quia immunitas personalis debita clericis, non impedit eorum punitionem à Iudice Ecclesiastico: ergo nec impedit immunitas localis, quæ minor est, siquidem immunitas personalis est maior, quam Ecclesiarum asylum, cum sint illi Dei templum vivum, 1. ad Corinth. cap. 5. & tamen illius immunitatis nulla in delictis per Iudicem Ecclesiasticum ratio habetur, quin eos citra ullam Ecclesiæ violationem puniat: tum quia immunitas Ecclesiæ læditur, quando contra eius voluntatem delinquens ibi existeret extrahitur, at cum extrahitur clericus à Iudice Ecclesiastico, ex voluntate Ecclesiæ extrahitur, cum Ecclesia, & Iudex Ecclesiasticus, seu Ecclesiæ Prælati quoad hoc sint idem. Unde iniuria facta Ecclesiæ censetur facta Prælato, & è contra satisfactio facta Prælato censetur facta Ecclesiæ: tum quia Iudex Ecclesiasticus maiorem potestatem habet in Ecclesia, ex qua reus extrahitur, quam Iudex in seculari: tum quia in iudicio Ecclesiastico non ita severe agitur ad corporis poenam, & publicam vindictam (ad quam evitandam introducta est immunitas Ecclesiarum) sicuti in seculari, quapropter Ecclesiasticum iudicium etiam in Ecclesia fieri potest, non sic seculari, uti supra dicebatur: tum denique, quia immunitas Ecclesiarum propriè tantum introducta videtur comparativè ad iudices seculares (quo minus scilicet reos ab Ecclesia extrahere possint), non item comparativè ad iudices Ecclesiasticos, uti rectè notant Suarez cit. cap. 10. num. 6. & 23. Azorius tom. 2. lib. 6. cap. 9. quæst. 9. §. quid de pagano, & Layman. lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 10. argum. cap. in ex alia de immunit. Ecclesiæ. & ita habet praxis, & consuetudo, teste Fagundez, Layman, Cutellio, & Peregrino (quæ est optima legum interpretes), & fatentur nonnulli ex Aduersariis in locis infra citandis, & suadet ratio, quia Clerici delinquentes ab Ecclesia extractio, Ecclesiæ nec dedecus, nec irreuerentiam gignit, & sic cessat ratio Canonum, qui aduersariis ipsis fatentibus, non personis, sed locis fauere voluerunt: ergo, &c.

14 Secundò, quia loci sacri immunitatem tenetur defendere Prælati Ecclesiastici illius loci, sed si Cle-

ricus ei subditus gauderet illius loci immunitate, non esset qui Clericum defenderet à Prælato volente illum extrahere, nec esset, qui cognosceret, an debita sit illi immunitas: (nam remittere cognitionem ei, qui prætendit immunitatem, & aduersus quem est immunitas, absurdum videtur:) ergo ne talia absurda sequantur, dicendum est, quod Clericus comparativè ad Iudices Ecclesiasticos immunitate Ecclesiæ non gaudeat.

Tertiò, quia alioquin raro de suis delictis puniri posset Clericus, cum regulariter in Ecclesiis, vel iuxta eas verberetur: & sic eius sequeretur impunitas, contra cap. 2. & c. cum illorum de sent. excom.

Quartò, quia in Constitutione Gregorij XIV. (quæ reducit omnes Canones antiquos ad vnam formam) mentio fit expressa de laicis, & non de Clericis, ibi: Ad vnam tantum formam reducimus, & moderamus, et laicis ad Ecclesias, locaque sacra, & religiosa confugientibus. Item ibi: Volumus, dictaque, & c. ut Curia secularis, eiusque Indices, & Officiales ab Ecclesiis, &c. Laicum aliquem, ut præsumitur, delinquentem, &c. Item ibi: Reuocamus omnia privilegia locis concessa extrahendi delinquentes à loco sacro, nulla mentione facta Clericorum: ergo clarè ibi insinuat, Clericos non habere hanc immunitatem comparativè ad Iudices Ecclesiasticos: Ex assumptione enim oppositæ speciei, alterius remotio sequitur, si inter, ff. de ex. ep. rei indicatæ, iuncta Gloss. in verb. directio contrar. in Clement. testib. de testibus: quapropter cum Ecclesiasticus, & laicus duo sint directe contraria, ut in cap. inter alia de immunit. Ecclesiæ, mutuo se emittunt, ita ut admissio vno emittatur alterum. Surd. decis. 24. num. 10. & decis. 92. num. 11. & consil. 211. num. 16. Barbosa axiom. 8. num. 3. & alij passim.

Quintò, ut arguit Abbas loco supra cit. à sufficienti partium enumeratione, quia, ut inquit ipse, Canones locuti sunt de laicis, & ius civile etiam locutum est de suis subditis laicis, nec potuit de Clericis, seu Ecclesiasticis valde loqui, & dispoñere.

Sextò, quia dum permittitur Prælati, etiam in Ecclesiis circa immunitatis violationem subditos suos punire, ac verberibus afficere, per cap. vniuersitas de sent. excommunic. cap. fin. de Regular. cap. præceptum 2. q. 2. & cap. qua fr. me, de appella. non est, cur ut in decentiori loco puniant, ab Ecclesia extrahere illos posse prohibeantur.

Septimò, quia maius decus, & honor Ecclesiæ est, quod Ecclesiastici ad aliorum exemplum, ne laicis scandalum generetur, puniantur, quam quod Ecclesiæ immunitate gaudeant, & non extrahantur: Clericis enim convenit sanctitas, & maior, quam laicis integritas, cap. sacerdotes, 8. dist. 1.

Octauò, quia cum Pontifex Clericos Urbis ratione sui Lateranensis Episcopatus, ac reliquos omnes sibi subditos coercere possit, neque in hac Bulla de Episcopis locutus fuerit, sequitur, quod neque Episcopis, & multo minus sibi, suorum subditorum extractionem directe, vel indirecte prohibere voluerit, loquentium enim personæ semper exceptæ censentur, ex vulgaris iuribus per Surdum consil. 47. num. 19. Gambacurtam lib. 5. cap. 43. num. 2. & seqq. Pheb. decis. 113. n. m. 12. lib. 2. & Modernum de iure belli, lib. 2. cap. 4. num. 12. Siquidem nemo in seipsum, nisi in specie statuit, quinimò nec in specie, ut in l. penult. ff. de recept. arbit. quapropter cum sæpe de membrorum, ac vitæ integritate ab Ecclesiasticis impetranda in citatis de immunitate Canonibus agatur, nunquam tamen de indulgentia per ipsosmet, vel per Pontificem disponentem impertienda mentio fit (quemadmodum Abbas, & Abbatis sequaces rectè considerant) ut hinc manifestum fiat, quod loquentis persona in dispositione non veniat.

Atque ita ex probabiliore, licet non communiori sententia Doctorum, docet Abbas in cit. cap. inter alia, de immunit. Eccles. num. 13. ex eo, quia si recte penduntur Canones, semper in iis mentio fit de laicis, cap. reum, cap. constituimus 17. quest. 4. cit. cap. inter alia, &c. & ex auctoritate Glossæ id tenentis in cap. nullus clericorum, 15. quest. 4. & ex Clem. 1. de priuil. & cap. non solum, de regul. iuris, ubi Religiosorum excessus grauib. pœnis puniuntur, qui tamen semper in locis sacris morantur: ita etiam docent Syluester verb. Immunitas, num. 7. Armilla num. 10. Rosella num. 9. Nauar. cap. 25. num. 22. Remigius de Gonny de immunit. Eccles. fallentia 21. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 11. (qui testantur, ex vi consuetudinis ita seruari in praxi.) Item Suarez lib. 3. cap. 10. num. 5. & seqq. Decianus tract. crimin. lib. 3. cap. 28. num. 14. Genuesis in prax. Archiepisc. cap. 22. in fin. num. 11. Lopez part. 2. cap. 285. Azor. part. 2. lib. 9. cap. 9. quest. 9. Portel. verb. Immunitas Ecclesiastica, num. 13. Homobon. part. 2. tract. 11. cap. 12. quest. 26. suppos. 3. Tanner. in 2.2. disput. 9. quest. 8. dub. 1. num. 16. Ricc. part. 3. decis. 172. Peregrin. de immunit. cap. 12. num. 3. Megalius in 3. part. lib. 4. cap. 2. num. 34. Fagundez de preceptis Ecclesiæ, precept. 2. lib. 4. cap. 4. num. 52. Villadieg. in Polit. cap. 3. num. 213. Heuia in Curia Philip. part. 3. §. 12. num. 17. Bellettus part. 1. tit. 3. §. 15. num. 1. Cutellius de immunit. Eccles. lib. 1. quest. 24. Rodriguez tom. 2. qq. Regul. quest. 50. art. 4. Filliucius tract. 15. cap. 6. quest. 8. num. 151. & Bonacina disput. 3. de primo Decalog. precept. quest. 7. & de immunit. §. 3. num. 7. contra Couarru. 2. var. cap. 20. num. 16. Diaz pract. c. 115. Tuschum verb. Ecclesiæ, concl. 9. num. 17. & conclus. 11. num. 27. Romanum consil. 226. & 834. Zerol. in prax. Episc. part. 1. §. Immunitas Ecclesiastica, vers. 8. Monticellum in prax. crimin. regul. 12. num. 18. Duardum in Bull. Cœne, lib. 2. can. 15. quest. 16. num. 13. Gambacurtam de immunit. lib. 4. cap. 11. num. 9. Gutierrez pract. qq. Ciuil. quest. 3. num. 1. (qui ait, sententiam suam veriorē esse in puncto iuris, etsi fateatur, priorem seruari in praxi.) Item contra Ambrosinum de immunit. c. 12. num. 3. Clarum in pract. §. fin. quest. 30. Decianum lib. 6. cit. cap. 26. num. 1. Barbosa in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 49. cap. 6. num. 14. & de uniu. iur. Eccles. tom. 2. c. 3. num. 135. & seqq. Lotterium de benef. tom. 1. lib. 1. quest. 13. n. 113. Farinacium de carcerib. quest. 28. num. 7. & in Append. de immunit. cap. 2. num. 34. Mar. Ital. tract. de immunit. lib. 1. cap. 3. §. 1. (qui dicunt, opinionem, quam ipsi tradunt, esse communem, etsi fateantur, opinionem oppositam esse vñ receptam.) Item contra Dianam part. 1. tract. 1. resol. 24. Lezanam verb. Immunitas, n. 6. Salgad. de protectione Regiæ, tom. 2. part. 2. cap. 4. n. 115. Lol. lit. P. tom. 1. Bobadillam in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 57. in gloss. lit. P. (ubi contendit opinionem suam esse veriorē, & communiorē,) & contra Petrum Cenedum quest. 42. qui asserit, quod Iudex Ecclesiasticus extrahens ab Ecclesiæ reum Clericum, sine licentia Summi Pontificis, in criminibus non exceptis, incurrat pœnas, & censuras latas contra violantes immunitatem Ecclesiarum.

Difficultates, earumque solutiones.

S Y M M A R I U M.

- 1 Sacri Canones concedentes immunitatem loquuntur generaliter, & sine limitatione, sed comparatiue ad Iudices seculares tantum.
- 2 Clericus delinquens si confugiat ad Ecclesiam, duplici titulo eximitur à laicali iurisdictione, & ratione personæ, & ratione loci.
- 3 Generalis locutio comprehendit solum omnia eiusdem generis, seu speciei, non verò etiam id, quod non

solum est diuersum, sed etiam oppositum.

- 4 Summi Pontifices, ubi volunt includere Clericos, & laicos, eos speciatim exprimunt.
- 5 Generalis locutio non includit eos, qui speciali nota digni sunt, quales sunt Clerici.
- 6 Item non includit eos qui speciales ob causas ex generali dispositione eximi debent, nec eos, de quibus loquens in specie loqui deberet, nec eos qui probabiliter in illa dispositione venire non deberent.
- 7 Priuilegium ratione loci concessum, ex qualitate personarum metiri non debet, nec in ordine ad ipsam personam ratio haberi.
- 8 Exempta Ecclesiæ, licet persona omnes ad eam pertinentes exempta censeantur, non tamen id etiam ad Curatum seu Parochum extenditur.
- 9 Locus sacer dicitur proprium Iudicis Ecclesiastici territorium, unde ex captura Clerici in eo, non sequitur Ecclesiæ irreuerentia.
- 10 Clerici, licet non gaudeant dicto immunitatis priuilegio comparatiue ad Iudices Ecclesiasticos, non propterea sunt deterioris conditionis, quam laici, & si sunt, non sunt per se, sed per accidens.
- 11 In predictis attendi debet non utilitas vnius Clerici tantum, sed totius status Clericalis.
- 12 Multa bona præstantur inuitis, quando eorum consultiur utilitati, non voluntati, quia ipsi inueniuntur sibi inimici.
- 13 Religiosi, qui sui commodi gratia existimationem proprii ordinis per implorata iudicia denigrant, ac proiiciunt, vocantur ingrati.
- 14 Declaratio Cardinalium quod Clerici confugientes ad Ecclesiam gaudeant immunitate, non constat authenticè, & facit tantum opinionem satis probabilem: idem dicit de pluribus aliis similibus declarationibus.
- 15 Ecclesiæ est domus Clericorum, at in domo propria non debet quempiam capi, & vinculis alligari, secus à superiore domus.
- 16 Nullus Clericorum seruum, vel discipulum suum ad Ecclesiam confugientem extrahere audeat, vel flagellare presumat: quod si fecerit, donec dignè peniteat, à loco, cui honorem non dedit, segregetur.
- 17 Canon citatus prohibet immoderatam castigationem serui, vel discipuli, non autem moderatam, quæ in Ecclesiæ fieri potest.
- 18 Canon citatus loquitur in ordine ad extrahendum laicum, non autem Clericum, & de extrahente, qui non sit superior Ecclesiæ.
- 19 A præcepto negatiuo, & limitante affirmatiua dispositio elici non potest.
- 20 Constitutio Gregoriana disponit ne laici, & seculares magistratus aliquid possint contra Clericos, quo fit et nihil de Clericis, aliisve sanore Ecclesiasticorum iudicum positum constitutum sit.
- 21 Expressio, & specialis locutio eorum, quæ tacite insunt, quando ad maiorem claritatem, & euidentiā fit, non vitiat, neque aliquid addit, licet dubietatem tollat.
- 22 Ratio constitutionis Gregorianæ, quod sit directæ ad iudices laicos, patet ex dictæ clausula verbis.
- 23 Clerici confugientes ad Ecclesiam sequuntur opinionem oppositam, quæ est etiam satis probabilis.
- 24 Ratio, cur Clerici non gaudeant immunitate, est status diuersus à laicis, in quibus magis excusabilia sunt delicta, quam in Clericis.
- 25 Legislator tenetur legem suam seruare, quando materia legis est communis.

Dices, cap. inter alia, cap. id constituimus, & cap. de finit. cap. si quis contumax, & cap. si quis inuentus 17. quest. 4. loquuntur de hoc immunitatis Ecclesiæ priuilegio